

XXXV. 1363. die 13. mensis Ianuarii, Cracoviae.

Casimirus dictus Magnus rex Poloniae, civibus Cracoviensibus villas *Czarna wieś*, *Czarna ulica* et *Pobrzezie* C marcis grossorum Pragensium vendit, incolasque earumdem villarum iurisdictioni consulum Cracoviensium subiicit. Insuper emporium lanae caprinae in civitate Cracoviensi instituit, nec non et leges quasdam a consulibus Cracoviensibus sancitas ratas esse iubet¹⁾.

(I)n nomine dominj amen. [Nouerint quibus expedit vniuersi, tam presentes, quam futurj, Quod nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, Necnon Terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, lancicie, Cuyauie, Pomoran[ie, Russieque dominus et heres, Di]uersitatem iurium temporalium, que inter Incolas Ciuitatis nostre Cracouiensis et ipsius suburbia, specialiter ante portam Sutorum actenus viguerunt et multum discrepa[re videbantur, sub potestate vni]us iuris et iudicij ponere et perpetuo conseruare volentes, Vt ex eo ipsi Ciuitati et Vtrisque Incolis perpetuus honor et profectus constanter crescat et augeatur, Exnunc villas [et possessiones nostras] infrascriptas, videlicet *Czarna-wes*, *Czarnaulicza* et *Pobrzeże*²⁾ Eidem Ciuitati Cracouiensi ante dictam portam Sutorum adiacentes, prout dicte ville seu possessiones in suis circumferen[cialibus insignijs] distinete noscuntur ab antiquo, cum omnibus et singulis incolis ipsarum, prout ad iudicium Castri nostri Cracouiensis retroactis temporibus noscebantur pertinere, Iudicio Theutonicali et potestati ho[nestorum vi]rorum Consulum ipsius Ciuitatis Cracouiensis vendidimus pro Centum Marcis grossorum pragensium numeri Polonicalis, XLVIII^{to} grossos pro marca qualibet computando, et tenore presencium ratione huius[modi iu]dicij, iurisdictionis et potestatis perpetuis temporibus vendendo, subicimus, ascribimus, anneximus et incorporamus. Ita, quod ijdem Incole villarum predictarum pro causis magnis et paruis non coram aliquo alio, nisi coram Consulibus sepedicte Ciuitatis Cracouiensis, qui pro tempore fuerint, aut coram Aduocato ipsis per eosdem deputato, eo iure, quo gaudent Incole ipsius Ciuitatis Cracouiensis, respondere teneantur. De quibus eciam incolis ipsi Consules omnes penas magnas et paruas pro se recipiendi plenam habeant potestatem; Censum vero annum in eisdem villis, prout alias tollebatur, pro nobis et nostro thezauro perpetuis temporibus complete reseruamus. Circa quam vendicionem et empacionem iurisdictionis supradicte specialiter fuit expressum, quod super omnibus discordijs et controuersijs judicialibus, que inter ductores lignorum seu plaustrarios eorumque Socios, wlgari theutonio *flosser* nominatos, quocumque modo intra limites dictarum villarum emerse fuerint, in quantum in fluvio *Wyssle*, ad iudicium Castrj Cracouiensis seu ad procuratorem, qui pro tempore fuerit, In quantum autem in littore siue in terra fuerint exorte, ad iudicium et iurisdictionem.. Consulum Ciuitatis Cracouiensis sepedicte sentenciandi et puniendi plena potestas eorumdem debet pertinere. Preterea in publicum deducimus per presentes, vt effectualiter appareat, quia Ciui-

tatem Cracouiensem et Incolas in ea degentes sepedictos gracia prosequimur et fauore speciali, Exnunc de benignitate nostra Regia damus depositum, quod wlgariter dicitur *Nyderlage*, ipsi Ciuitati ad honorem et omnibus incolis ipsius ad vtilitatem, commodum et profectus De omnibus Pylis Caprarum, wlgariter dictis *Cygenhor*, venientibus de terra nostra Russye et presertim de Ciuitate nostra Lemburgensi, omnibus et singulis nostri Regni Incolis, de quibuscumque Ciuitatibus seu locis fuerint, dictos Pilos emendi, et in Cracouia deponendi, uel Incolis dicte Ciuitatis vendendi plenam tradimus facultatem, Ita quod huiusmodi pili non alias nisi in ipsa Ciuitate Cracouiensi nomine veri depositi per quemlibet mercatorem debent [deponi et a]binde sub priuacione omnium bonorum publice uel occulte per quempiam non abduci, Sed ibidem omnes tam diuites quam pauperes intra Muros Ciuitatis Cracouiensis duntaxat et extra [ad gremium ipsius] Ciuitatis pertinentes, qui laborare cum eisdem pilis voluerint, Pylea seu alia queque negocia conficiendo, in quibus ipsorum inuestigare poterint melioracionem, Exnunc laborandi et [conficiendi perpetuis temporibus] plenam habeant potestatem. Ceterum perpetue memorie omnium et singulorum presentibus declaramus, Quia laudabiles viri . . Consules Ciuitatis Cracouiensis sepedicte, ipsorum innata prudencia [presencia et futura sane preten]dentes ad tollendas dubietates de remanencijs morticiniorum suppellectilium, que wlgariter *Rade* nominantur, Super quibus sepissimis altercationibus, dispendioso tedio occu[pabantur, ob laudabilem consuetudin]em, que pro iure poterit obseruari, quosdam articulos infrascriptos pro se et suis successoribus ac communitati Ciuium ipsius Ciuitatis Cracouiensis perpetuis temporibus obseruandos [dictauerunt, Petentes humiliter eosdem] articulos per nostram maiestatem approbari et confirmari. Quorum articulorum sentencia dinoscitur esse talis: Quod quandocumque vxor aliquius Ciuis Cracouiensis [decesserit ab hac luce, tunc omnia] suppellectilia non ad aliquem alium, nisi ad maritum et ad pueros ipsius cuiuscumque sexus fuerint, debent pertinere, alijs omnibus propinquis penitus exclusis; si vero pueri non fuerint, extunc omnia suppellectilia, que predicta vxor mortua ad maritum eius apportauerat, uel eciam dictorum suppellectiliorum remanencie Sororj dic[te mortue aut cognate ipsius in linea] consanguinitatis propinquiorj de iure presententur. Si autem aliquis virorum prima sua vxore defuncta et secunda, et contraxerit cum tercia, idemque v[ir] precedat ab hac vita, extunc omnia suppellectilia,] que ipsorum tempore per eos conquisita sunt parte ab utraque, non ad alium, nisi ad solam Relictam deuoluentur et pertinebunt, contradicione cuiuslibet [penitus quiescente. Nos vero considerantes su]pradicatos articulos multum bene fore dictatos, Et Communitati Ciuitatis Cracouiensis predicte congrue et necessarie approbatos, Ad [instantes peticiones Consulum predictorum de benignitate nostra Re]gia ipsos articulos vna cum omnibus alijs premissis approbamus, perpetuamus et presencium per tenorem confirmamus. Harum quibus sigillum nostrum est app[ensum testimonio literarum. Actum Cracouie in octaua E]pyphanie domini, sub Anno

domini Millesimo CCC^o Sexagesimo tercio. Presentibus hijs Testibus: Iohanne Castellano Cracouiensi, Iohanne [Palatino Sandomiriensi, Iohanne Cancellario Cracouiensi,] Petro Woyniciensi, Zawyssa Sandecensi Castellanis et Bodzatha procuratore generali, ac alijs quampluribus testibus fidedignis. Datum [per manus domini Iohannis Cancellarij Cracouiensis supradicti, Scriptum autem per Nicolaum Bohemum, Notarium Curie nostre, Canonicum Ecclesie Wysliciensis.

¹⁾ Dokument pergaminowy w skutek wilgoci tak zbutwiał, iż kilkunastocalowe dziury powypadały. Miejsca tekstu tym sposobem uszkodzone, uzupełniamy z kopii wierytelnej złożonej w księgach dokumentów urzędu hipotecznego krakowskiego. Kopia ta sporządzona została w r. 1823 z oryginału zachowanego podczas w archiwum głównem senatu, a pieczęcią majestatową opatrzonego. Jest to ten sam oryginał, który mamy pod ręką, jeno następnie gdzieś niedbale przechowany zbutwiał i pieczęć oderwaną została.

²⁾ *Czarna wieś*, gmina tuż pod Krakowem po stronie zachodniej położona. *Czarna ulica* jest przedłużeniem głównej ulicy przedmieścia *Piasku*. *Pobrzeże* zatraciło swą nazwę.

XXXVI. 1366. die 13. mensis Aprilis, Cracoviae.

Coenobium sacrarum virginum ordinis Praemonstratensis Swerinciense cum consulibus Cracoviensibus quidquid agri pascui inter fluvios Vistulam et Rudavam interiacet, domo quadam Cracoviae sita commutat ¹⁾.

C. Notum sit, quibus expedit, vniuersis tam presentibus, quam futuris, quod sub anno incarnationis dominice M^o CCC. LX sexto, proxima feria secunda post dominicam Quasimodo geniti, Iudicium fuit bannitum per Pesconem Circulatorem aduocatum et per septem Scabinos submissos, videlicet Nicolaum Hulczner, Nicolaum Sellatorem, Hinconem arcuficem, Nicolaum Keslingij, Petrum Cartkonis, Hannconem Knospen et Iohannem yegerdorf. coram quo Iudicio Honorable viri domini Iohannes Bork dapifer Sandomiriensis, Pacussius de aprias, Bartko Monetarius, Nicolaus Plesner, Cunradus Fetyr, Wlricus Pacussij, Otto Westfal et Wlmanus leytmanni, Consules Ciuitatis Cracouiensis suo et tocius vniuersitatis eiusdem Ciuitatis nomine presencialiter constituti, domum lapideam dicte Ciuitatis, que domus olym fuit Climconis de *Boczanow* recordacionis felicis, in platea sancti Floriani in acie, contiguam domui Niczkonis Karmnik, fundamentaliter sitam, in suis antrorsum et retrorsum ueluti circumferencijs limitaturis, Religiosis ac deuotis domino Wlrico preposito, Clare priorisse totique conuentui sanctimonialium Monasterij *Swerzinczie* prope dictam Ciuitatem, ordinis Premonstratensis, vere iusteque commutacionis tytulo pro pascuis inter Ciuitatem et Monasterium contentas(s) libere resignarunt, Per eosdem puta dominum Wlricum prepositum, Claram priorissam conuentumque eorum et successorum(s) prescriptam domum liberam ab omnibus et singulis solucionibus Ciuitatis predicte magnis et paruis, generalibus et specialibus quibuscumque, quocumque eciam vocabulo nuncupentur seu quacumque fuerint recipiende